

VERSION LATINE 4

LUCAIN, *La Pharsale ou la Guerre civile (Pharsalia siue De bello ciuili)*, VII, v. 787-830

César face au carnage de la bataille de Pharsale

Postquam clara dies Pharsalica damna rexit,
nulla loci facies reuocat feralibus aruis
haerentis oculos. Cernit propulsa cruore
790 flumina et excelsos cumulis aequantia colles
corpora, sidentis in tabem spectat acruos
et Magni numerat populos, epulisque paratur
ille locus, uoltus ex quo faciesque iacentum
agnoscat. Iuuat Emathiam non cernere terram
795 et lustrare oculis campos sub clade latentes.
Fortunam superosque suos in sanguine cernit.
Ac, ne laeta furens scelerum spectacula perdat,
inuidet igne rogi miseris caeloque nocenti
ingerit Emathiam. Non illum Poenus humator¹
800 consulis et Libyca succensae lampade Cannae
conpellunt hominum ritus ut seruet in hoste,
sed meminit nondum satiata caedibus ira
ciues esse suos. Petimus non singula busta
discretosque rogos : unum da gentibus ignem,
805 non interpositis urantur corpora flammis ;
aut, generi si poena iuuat, nemus extrue Pindi,
erige congestas Oetaeo robore siluas,
Thessalicam uideat Pompeius ab aequore flammam.
Nil agis hac ira : tabesne cadauera soluat
810 an rogos, haud refert ; placido natura receptat
cuncta sinu, finemque sui sibi corpora debent.
Hos, Caesar, populos si nunc non usserit ignis,
uret cum terris, uret cum gurgite ponti ;
communis mundo superest rogos ossibus astra
815 mixturus. Quocumque tuam fortuna uocabit,
hae quoque sunt animae : non altius ibis in auras,
non meliore loco Stygia sub nocte iacebis.
Libera fortunae mors est ; capit omnia tellus
quae genuit ; caelo tegitur qui non habet urnam. //
820 Tu, cui dant poenas inhumato funere gentes,
quid fugis hanc cladem ? Quid olentis deseris agros ?
Has trahe, Caesar, aquas ; hoc, si potes, utere caelo.
Sed tibi tabentes populi Pharsalica rura
eripiunt camposque tenent uictore fugato. ///
825 Non solum Haemonii funesta ad pabula belli
Bistonii uenere lupi tabemque cruentae
caedis odorati Pholoen liquere leones.
Tunc ursae latebras, obscaeni tecta domosque
deseruere canes, et quidquid nare sagaci
830 aera non sanum motumque cadauere sentit.

1. Hannibal.